

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 3: De virtutibus theologicis et cardinalibus

Caput 5: De fortitudine (2)

Seneca:

Non sentire mala sua, non hominis est, et non ferre, non est viri.

Optime certe illos imitaberis qui,
cum indignari possent non esse ipsos exsortes huius mali,
tamen in hoc uno se ceteris exaequari hominibus non iniuriam
sed ius mortalitatis iudicauerunt tuleruntque nec nimis acerbe et aspere
quod acciderat nec molliter et effeminate;
nam et non sentire mala sua non est hominis et non ferre non est uiri.

Lucius Annaeus Seneca, *De consolatione ad Polybium*, 17.2 (L.D. Reynolds ed., p.287, ll.5-11).